



**Historia Pelagiana Et Dissertatio De Synodo V.  
Œcumenica In Qua Origenis ac Theodori Mopsuesteni  
Pelagiani erroris Auctorum justa damnatio exponitur, &  
Aquilejense Schisma describitur**

**Noris, Enrico**

**Patavii, 1708**

§. 6. Expenduntur illorum testimonia, qui S. Augustinum novitatis  
accusant.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72486)

lianum, & æqualis est Patri, ut convincas Arianum. Veris que enim clamat: Ego, & Pater unum sumus. Quod ait, unum, audiant Ariani, quod ait, sumus, audiant Sabelliani, & nec illi æqualem, nec illi alterum negando sint vani. Ita ne, si superis placet, qui non modò regiam viam semper incessit, sed qui eandem posteris non dicam digito monstravit, sed pedibus fecit, extrà orbitas excurrisset, & ad extrema declinasse dicitur? Ego quidem prius credam, reapse Solis currum ductante Phaëonte extrà Eclipticam præcipientem actum, quàm illis Augustini excelsibus præstem fidem.

## S. VI.

*Expenduntur illorum testimonia, qui Sanctum Augustinum novitatis accusant.*

Iti quidem tres Præsules sunt, quorum auctoritatem, ac doctrinam Annatus satis exaggerat: nempe Claudius Xaintes in lib. Atheif. Cal. tit. de Prædestinatione, Ambrosius Catharinus in libello itidem de Prædestinatione, Hieronymus Oforius lib. 9. de Justitiâ, qui Sancti Augustini doctrinam de prædestinatione, & reprobatione novitatis accusant, quasi fenerit contrà sententiam omnium Patrum, qui eundem præcesserunt. Vetus sanè contrà Sanctum Augustinum Semipelagianorum cantilena est, ut ex literis Prosperi patet, cui Sanctus Doctor hæc reponit lib. de Prædest. Sanctor. cap. 14. Quid igitur opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum questione versari, quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogentur? Sed hæc de re pluribus alibi dictum est. Sanè Clemens VIII. in disputationibus de Auxiliis Molinæ sententiam ad Augustiniani dogmatis de prædestinatione amulsum exegit, & Faustus Rejorum Episcopus inde præcipue rejectus est, quòd Sancti Doctoris de prædestinatione sententiam impugnavit, quam Patres Augustinum subscecuti, Prosper, Fulgentius, Casarius, atque Africani Episcopi in Sardinia exules, itemque Monachi Scythæ, Rhemigius, Prudentius, alique propugnarunt, quibus Sanctus Thomas cum meliori Scholasticorum parte consensit.

Illud tamen notandum venit, horum trium Episcoporum contrà Augustinum testimonia Recentioribus ipsis non exactè probari. Moraines disp. 9. num. 57. cum hæc parùm honorifica de Sancto Doctorè Claudii Xaintes verba recitasset: *Pro resolutione fidei meæ, quam Ecclesiæ Catholicæ judicio submitto, censeo, Divum Augustinum nimio contrà Pelagianos ardore incensum nimis præcipit. antè sententiam, & consensum prædecessorum suorum contempsisse, hanc ipsam censuram improbens ait: Hucusque Episcopus Ebroicensis, qui, ut opinor, & pace illius dictum volo, consultius ficiisset, tantique Doctoris auctoritati conveniens, si semper, & constanter quæcunque dixit Augustinus, in sensum illum commodum exposuisset, & non tantam in opinando inconstantiam ei tribuisset.* Dixerat enim Sanctus, Augustinum varium eam in sententiâ fuisse. Ambrosius Catharinus in libro de Præcipientiâ, & Prædestinatione aded adversus Sanctum Augustinum procax est, ut bilem moverit vel ipsi Vasquio, undè his Catharinum increpat 1. p. disp. 90. num. 11. *Contrà Augustinum parùm modeste loquitur Catharinus, & in illius sententiam suo modo explicatam maledictis procaciter fertur.* &c.

At in hoc turpissimè certè Catharinus lapsus est, tum quòd non intelligens mentem Augustini, ipsum impudenter impugnat, & reprobat, tum quòd ipse Augustinus contrà Massilienses, & alios à Cælestino Primum in Epistola primâ ad Episcopos Gallie honorificè defenditur. Et ibi recitato Cælestini elogio addit, hoc Cælestini testimonium sufficere, ut os ipsi Catharino obstrueretur. Accedant ex Hispaniâ duo Dominicane Familiæ nobilissimi Doctores, qui hominis in Augustino impugnando licentiam castigant. Dominicus Soto in cap. 9. Epist. ad Rom. Non potuit, inquit de Catharino, hic Reverendus Pater citrà temeritatis notam non solum Augustinum, verum Sanctos omnes novâ, inauditâque suâ commentatione contemnere. Et Bannez 1. p. q. 23. art. 7. propè initium de Catharino ita loquitur: *Edidit tres libellos de prædestinatione, in quibus nihil est eruditionis, sed plurimum erroris.* Quis verò quantusve fuerit iste Sancti Augustini reprehensor, & undè emerferit, tradit Soto in apologiâ de certitudine gratiæ initio his ipsum Catharinum alloquens: *Jam ætate provectus ex Jurisconsulto (trigesimum ætatis annum natus Florentiæ Dominicanæ Familiæ nomen dedit) Theologus de repente prodidisti, simul & audire capisti in scholis, & contrà egregios scholarum Doctores scribere.* Tante auctoritatis apud suos habet Catharinus! Cæterum non possum non indignari Annato, hanc Glossam pag. 856. Catharini testimonio appendenti: *Ambrosii Catharini judicium esse meritò suspectum, si quam proficitur interdum in Augustino deserendo libertatem usurparet solum.* Sed tanta cæterorum Doctorum conspiratio satis ostendit, Catharinum in ea re, non ut Catharinum, qui suo sæpè ingenio nimium indulgit, sed ut Ecclesiæ Catholicæ Archiepiscopum, & Doctorem id sensisse &c. Erras, Annate, erras. Catharinus libros illos de prædestinatione scripsit antequàm esset Antistes, nam editi sunt Parisiis anno 1541. Ille verò Minorensis Episcopus in Picentinis dictus est anno 1546. die 27. Augusti ex Tomo 7. Italiæ Sacræ Ughelli: Archiepiscopus verò Compsæ anno 1552. die 3. Junii. Non itaque locutus est, ut Archiepiscopus Ecclesiæ Catholicæ, sed, teste Soto, uti nuperus ex *Jurisconsulto Theologus* in iis libris, in quibus, assertore Bannezio, nihil est eruditionis, sed plurimum erroris. Hinc factum est, ut Catharinus Juris peritus in illis libris sæpè laudaret Codices, & Digesta, ut suas de prædestinatione opiniones Theologis persuaderet.

Restat Oforius, de quo hæc habet Gabriel Vasquez 1. p. disp. 89. cap. 8. num. 62. *Alterum, in quo hi Auctores nempe Catharinus, Camerarius, Oforius, fuerunt decepti, est, quòd putarunt Græcos Patres Augustino contraria decessisse, quasi assereret Augustinus, homines ad gloriam sine meritis electos fuisse &c.* Itaque, Vasquio teste, Oforius deceptus est. Annatus libro primo sui Augustini à cap. 2. usque ad nonum fultus conatur probare, Augustinum non sensisse contrà antiquos Patres, & præcipue cap. 6. ubi Faustum contrà Augustinum loquentem inducit. Quæ ergo ratione Augustinum illis testimoniis oppugnat? Quòd si dicat recitare se, quid illi senserint, non quid illis sentiendum fuerat de Augustino, hoc nobis fat est, haud plene eos testes Recentioribus probatos esse, quorum ipsis fatentibus, primus minus consultè locutus, alter impudens, parùm modestus, & procax, imò nec mentem Augustini intelligens. Postremus denique deceptus dicitur. Annate, hos contrà Augustinum testes? Sed alios modò audiamus.